formosam ediculam subtus muratam conspexit. Et veniens episcopo nunciauit atque dixit. Si tue placet sanctitati hic olera mea et alia que sunt necessaria possunt recondi. Cui ille in spiritu dixit. Si hoc feceris mox sensu et membrorum sospitate carebis. Sed miser hec paruipendens supellectilem suam in predictam speluncam congregauit, statimque sensum cum visu et auditu perdidit. Qui ad sanctum dei productus ut reatum cognouit veniam pecijt ac indulgentiam cum sanitate promeruit. Mira dictuque sunt. Et illa namque hora nunquam ab ortulano ipsa reperiri potuit spelunca. Ex eo tempore cepit vir dei sanctum illum locum magis frequentare, sibique sepulchrum ibi preparare, ubi omni sexta feria si domi erat solebat venire et salutarem hostiam domino immolare. // Sequitur.

23 Interea orationis causa vir dei Romam perrexit, ubi et caput sancti abundi martiris acquisiuit, secumque religiosa cum deuotione augustam reportauit.

24 Solebat enim loca sancta visitare ac precipue monasterium sancti galli ubi nutritus erat et eruditus. Inde cum quodam tempore ad cellam sancti meginradi ad videndum seruum dei eberhardum venisset. Post sacra orationum libamina, post dulcia fraterne collationis colloquia, cum iam prelibatis osculis sanctus episcopus disposuisset redire in suam et ea vice sperarret predictum dei famulum non amplius esse visurum, iamque ire cepisset, festinato anhelus cucurrit atque iterans oscula caritatis inhiant vocem lacrimando excepit. Ex hac hora non videbimus nos ulterius in hac vita donec corporibus exempti videre nos mereamur in presencia dei. Cui episcopus dixit. Pater venerande scis nunc procerto tempus mee resolutionis instare quo debeam ex hac vita migrare, et finis quidem vite tue adhuc non erit. Sed verum esse quod dico exitus rei comprobabit. Cum discessum est. Sed antequam episcopus eandem cellam iterum visitaret, ille dei famulus eberhardus de hoc seculo migrauit. // Sequitur capitulum

25 Processu quoque temporis locum agaunensium ubi sanctus mauricius cum sacra legione quiescit orandi gratia adiuit, ut non modicas thebeorum martirum reliquias acquisiuit. Quas cum summo honore augustam attulit ac in oratorio sancte dei genitricis cum ymnis et psalmodijs religiose collocauit. Iisdem quoque diebus venerabilis heros ad monasterium insulanense quod augia dicitur venit, ubi tunc temporis dominici gregis vir reuerendus nomine alawicus curam gessit. Qui eum condigno ut decuit honore suscipiens multiplicibus sanctarum reliquiarum quarum gratia illo aduenerat pignoribus donauit, sicque ad propria letum redire permisit. Nec pretereundum quod propter ipsius merita plurima infirmis prestabantur beneficia, et maxime qui caduco grauabantur morbo per eius benedictionem a tanto liberabantur incommodo. Quod ita humilitatis causa studuit occultare ut si forte aliquis illorum hant sanitatis gratiam palam postularet benedictionis donum subtraheret, asserens hoc magis apostolice dignitati quam sue congruere paruitati. Oleum ab eo in cena domini consecratum varijs languoribus detenti pristine restituti sunt sanitati. Nec non et oculorum caligine obtenebrati huius sancti olei unctione merebantur illuminari.

26 Opere precium est inserere qualiter etiam ipse per efficientiam huius sacri liquoris consecutus est gratiam sospitatis. Quodam autem tempore ad monasterium campidonense veniens tanta infirmitate detinebatur ut non nisi inter aliorum manus sustentatus quoquam possit gressum mouere uel cibi aliquid pro recreatione virium percipere. Tunc sub celeritate augustam mittitur, oleum ab eo consecratum defertur. Quo in ipsa sancta penthecostes vigilia hora diei nona delibutus in tantum per gratiam dei contra spem omnium subito conualuit ut se reficeret cibo ac cum fratribus vespertinali sinaxi incolomis interesset, totamque subsequentem instantis festiuitatis diem cum spirituali iocunditate celebraret. Sicque omnibus in commune gratulantibus ipse sospes in suam sedem reuersus est.

27 Quodam tempore cum vir dei vindicem fluuium cum equo esset transiturus, in tantum aluei sui cursum inuenit subcreuisse ut nullus suorum auderet pillum transire. Tunc socijs sui itineris abeuntibus et vadum sicubi possent reperire ad tra

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. f.%2049r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/en/vad/0070/f.%2049r)